

rum Ecclesiae sunt destinata, consequenter injuste violata, ablata, etc., sacrilegium secum trahunt, uti infra patebit.

4. *Et loca sacra: quae?* — Loca sacra sunt Ecclesiae, capellae, oratoria pro divinis officiis obeundis, et sacramentis administrandis per consecrationem aut benedictionem praevidiam deputata. c. *cum Ecclesia*, 5, et c. *Ecclesiae*, 8, de *Immunit. Eccles.* Ex quibus praemissis,

5. *Verus sensus regulae, quis?* — Resp. II. Verus sensus regulae VII, est: « Sacrilegium committit, et vere sacrilegus est, qui personas, res, vel loca sacra injuste violat, laedit, vel indigne aut irreverenter tractat; » quia juxta commune doctorum sacrilegium nil aliud est, quam injusta violatio, laesio, aut indigna, irreverens tractatio personae, rei, vel loci sacri, arg. cit. can. *Nulli*, cum seqq. cau. 12, q. 2.

6. *Declaratur sensus quoad personas sacras.* Declaratur sensus regulae exemplis ex jure desumptis: et quidem imprimis circa personas Deo sacras: sic enim sacrilegium committit, ac insuper excommunicationem incurrit, qui tali personae manus violentas injicit. can. *Si quis suadente*, 29, cau. 17, q. 4. Item qui fornicationem, aut aliam turpitudinem carnalem in corpus illius exercet: can. *Virginibus*, 14, cau. 27, q. 1, qui eam ad torum saeculare trahere, et jurisdictione saeculari contra eam procedere praesumit. can. *Nullus judicum*, 2, cau. *Relatum*, 14, cau. 1^a, q. 1, item can. *Bene quidem*, 1, dist. 96, *Cum concord.* et amplius diximus, lib. II, tit. II, § 9, de *Foro compet.* Item, qui tributa, vectigalia, et alia hujusmodi onera ei imponere attentat. c. *Non minus*, 4, c. *Adversus*, 7, de *Immunit. Eccles.* fuseque dictum habetur lib. III, tit. XLIX, §§ 9 et 10.

7. *Circa res sacras.* — Circa res Deo sacras sacrilegium committit, qui sacramenta indigne administrat vel recipit: qui vasa sacra, paramenta ecclesiastica ad usus profanos adhibet: qui verba Scripturae sacrae ad jocos praesertim impudicos applicat: qui reliquiis, sacris imaginibus irreverentiam exhibet, can. *Quae semel*, 4, cau. 19, q. 3; can. *Ligna*, 38; can. *Vestimenta*, 42, de *Consecrat.* dist. 1, cum concord. juncta reg. *Semel*, 51, de *Reg. jur.* in 6, ibi: « Semel Deo dictum, non est ad usus humanos ulterius transferendum. » Tenentque doctores communiter merito adentes, non omnia sacrilegia esse aequalia, sed gravia vel levia pro diversitate rei sa-

cræ, et indigne tractationis, seu irreverentiae irrogatae: de quo magis theologi.

8. *Ac circa bona et temporalia.* — Sic ulterius sacrilegium committit, qui etiam res, bona et jura temporalia ecclesiarum, monasteriorum, et piorum locorum supra n. 3, ad finem enarrata injuste violat, gravat, aufert, etc., can. *Nulli*, 3, cau. 12, q. 3, ibi: « Nulli liceat ignorare, omne, quod Domino consecratur, sive fuerit homo, sive animal, sive ager, vel quidquid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum (id est, ut Gloss. hic, §. *Sanctum*, bene advertit, ad usum sanctorum) Domino erit, et ad jus pertinebit sacerdotum. Propter quod inexcusabilis erit omnis, qui a Domino et Ecclesia, cui competunt, aufert, vastat, invadit, vel eripit, et usque ad emendationem, et Ecclesiae satisfactionem ut sacrilegus judicetur, et, si emandare noluerit, excommunicetur. » De quo sacrilegii genere ob violata, gravata, ablata bona et jura temporalia ecclesiarum et locorum piorum exacte tractavimus, lib. III, tit. XLIX, §§ 9 et 10.

9. *Regula quoad personas quando fallat?* — Queritur II. An, et quæ fallentiae circa regulam hanc 7. Resp. esse praeter alias etiam sequentes: et quidem fallit circa personas sacras 1, in casibus, ubi in poenam sceleris personae sacrae privatae existunt privilegio clericali. arg. c. *Cum non ab homine*, 10, de *Judic.* c. un. de *Vita, et honest. cleric.* in 6. Fallit secundo. In casibus, in quibus non currit privilegium canonis, arg. c. *Super. eo*, 1, c. *Ex tenore*, 10, c. *Universitatis*, 24, de *Sentent. excommun.*

10. *Et quando quoad res? Vasa sacra tangere quando liceat, vel non.* — Circa res sacras, fallit primo quoad vasa sacra, v. g. calicem, patenam, corporale, monstrantiam: quæ licet, dum corpus Christi actu continent, nemo praeter sacerdotem et diaconum sine gravi irreverentia tangere queat; arg. can. *In sancta* hac, 41, et seq. de *Consecrat.* dist. 1, ac sine levi, aut veniali irreverentia, si corpus Christi actu non continent, arg. *Non oportet*, 30, et can. *Non liceat*, 31, dist. 23; tamen si perdant priorem figuram, aut ita immutantur, ut ad finem deputatum non amplius habilia sint; item si execrantur, seu justa de causa privantur benedictione, etiam a non sacratis manibus, absque sacrilegio tangi possunt: sicut et corporalia et purificatoria, si lotionem, aut refectionem indigent, dummodo a sacerdote prius laventur, uti

habet communis et universalis consuetudo optima legum interpret.

11. *Item quando quoad bona et jura temporalia fallat.* — Quoad bona et jura temporalia, fallit primo in communi necessitate habente conditiones praescriptas cit. lib. III, 49, de *Immunit.* 10, a n. 255, ubi et clerici contribuere tenentur; fallit secundo, in bonis feudalibus ad ecclesias pertinentibus, c. *Cæterum*, 5, de *Judic.* c. *Ex transmissa*, 6, c. *Verum*, 7, de *Foro compet.* in causis feudalibus enim etiam clericus feudatarius ad præstanda feudi onera tenetur.

12. *Ac loca sacra.* — Quoad loca sacra, fallit primo, si templa, ecclesiae, sacella consecrata, aut benedicta destruuntur. Tunc enim lapides et ligna sine irreverentia et sacrilegio ad usus profanos applicantur; fallit secundo, si homicidium, gravis vulneratio, notabilis effusio sanguinis in locis sacris contingit casu fortuito, v. g. ab animali, homine furioso, amente, etc. In quibus casibus ecclesia non polluitur. De quo, uti et tota materia circa vasa, et loca sacra plene tractavimus, lib. III, tit. XL, de *Consecrat. Eccles.*

REGULA VIII.

QUI EX TIMORE FACIT PRÆCEPTUM, ALITER, QUAM DEBEAT, FACIT, ET IDEO JAM NON FACIT.

1. *Difficultas regulæ in quo consistat? Timor duplex: alius filialis.* — Queritur I. Quomodo hæc regula intelligenda, et quis sensus verus illius sit? Ante responsionem notandum, totam difficultatem circa intelligentiam hujus regulæ in hoc consistere, de quo timore loquatur. Duplex siquidem, vel potius triplex est timor: filialis nempe, et servilis; hincque vel supernaturalis et bonus, vel mere servilis seu mundanus. Filialis est, quo quis Deum sicut filius patrem timet, et ex hoc timore, ne eum offendant, præcepta et mandata illius observat: qui timor in charitate fundatus optimus est, innumerisque locis laudatur et commendatur a sacra Scriptura, uti *Psal.* xviii, 10, *Timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi.* *Psal.* cxl. *Beatus vir, qui timet Dominum, in mandatis ejus volet nimis.* et *Psal.* xxxiii, 10. *Time Domini omnes Sancti ejus, quoniam non est inopia timentibus eum.* *Psal.* cxliv, 19. *Voluntatem timentium se faciet, et deprecationem eorum exaudiet, et*

salvos faciet eos. Imo *Psal.* cx, 10, asseritur: *Initium sapientiæ timor Domini: estque unum inter dona Spiritus sancti.*

2. *Alius servilis.* — Timor servilis est, quo quis mandata servat ex timore poenae, ne eam incurrat: qui timor etiam adhuc bonus et supernaturalis est, si quis poenas sive æternas, sive temporales quatenus a Deo ob transgressionem mandatorum suorum juste infliguntur, merito timet, et ideo ex timore earum, vel potius ex timore Dei mandata illius observat, ne alias ab ipso hic vel ibi juste puniatur. Cum enim hic timor Deum nullatenus excludat, sed eundem, et justitiam illius respiciat, ac ne per violationem mandatorum eum offendant, sicque propterea ab illo juste puniatur, recte timeat, et hoc timore impulsus mandata illius observet, merito ex timore Dei poenas juste infligentis, sicque ex bono adhuc timore, utpote supernaturale adhuc principium habente mandata observare censendus est; dummodo timor non finalis, et ita principalis sit, ut, si poenae non essent, mandatum non observaret, et Deum offendere non curaret: si enim constitutus Deum et justitiam debite non respiceret, nec voluntatem peccandi exclusam, sed inclusam habere.

3. *Alius bonus, et utilis.* — Cæterum hunc timorem pariter innumeris in locis sacrae paginae, praesertim Veteris Testamenti etiam approbant, ac ut ex timore poenarum a Deo juste infligendarum mandata divina observentur, integris capitulis hortantur, uti *Deuteron.*, i, iv, viii, xi, etc. Sicut etiam in Novo Testamento ad observantiam mandatorum, et timorem Dei juste punientis, Christus ipse poenarum minis hortatur: *Luc.* xii, 5. *Time eum, qui potest et animam et corpus perdere in gehennam.* Et concil. Trident. sess. 6, cap. vi, fatetur, timore justitiæ divinæ peccatores utiliter concuti, illumque ad justificationem concurrere, quod magis ad propositum confirmat, sess. 14, cap. iv. dicens: « Contritionem imperfectam, quæ ex gehennæ et poenarum metu concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, non solum non facere hominem hypocritam, verum etiam donum Dei, et Spiritus sancti impulsus esse. »

4. Porro etsi n. praeced. declaratus timor servilis tam bonus ac meritorius sicut timor filialis non sit, utpote charitate minus vestitus, tamen ad ejusdem qualitates, et charitatem Dei bona intentione ac reflexione

reduci facile potest, si quis videlicet ex præfato timore servili, seu ex timore pœnarum, vel potius ex timore Dei, ne juste puniat, mandata observat quidem, ideo tamen etiam, quia infinite bonus Deus, videns nos miseros sensuales homines subinde magis et citius moveri gravissimarum pœnarum a Deo infligendarum minis, et timore earum, quam solo puro altiori charitatis motivo, ipsemet etiam hunc timorem suadet, et ut eo ducti mandata servemus, vult et hortatur, quod bene Notandum.

5. *Alius pure servilis, seu mundanus, ac inutilis.* — Timor mere servilis et mundanus est, quando quis mandata servat ex timore pœnarum, vel jacturæ temporalis, v. g. famæ, honorum fortunæ, vitæ, non ut a Deo, sed hominibus provenientium uti bene docet cum divo Thoma, 2, 2, q. 19, art. 2, communis doctorum. His notatis,

6. *Sensus genuinus regulæ quis?* — Resp. Regula nullatenus de timore in primo et secundo sensu n. 1 et 2, declarato: sed de timore mere servili humano et mundano num. præced. explicato intelligenda venit, ita ut verus illius sensus sit: « Qui ex timore mere servili et mundano, seu ex timore pœnarum quatenus ab hominibus proveniunt, et timentur, præceptum observat, aliter, quam debet, ac nihil facit, et nec meretur, nec præceptum servare censendus est. » Ratio est; quia ex timore servans præcepta, reipsa nullum Dei præcipientis respectum habere, nec ipsum curare, sed homines duntaxat respicere, sicque coram Deo qui corda scrutatur et renes, nec mereri, nec quidquam agere, nec præceptum, uti oportet, observare censetur, præsertim quia voluntatem peccandi retinens reipsa et implicite ita constitutus est, quod si pœnas, seu temporalem jacturam ab hominibus non timeret, præceptum non observaret: ut proin merito dicat Glossa hic: « Qui invitus facit (intelligit ex respectu et timore præcise mundano et humano) rem et meritum perdit. » arg. can. *Jam vero*, 4, cau. 23, q. 6.

7. *Declaratur exemplo.* — Regula et sensus ejus plurimis ex sancta Scriptura ulterius declarari et probari posset exemplis; verum quia materia hæc theologica potius, quam juridica est, sufficiat id solum, quod Christus de Pharisæis mandata Dei *Matth.* vi, 2 et 5, servantibus dixit, eos coram Deo nihil egisse, nec ullam mercedem habere: *Amen, dico vobis, recipietis mercedem suam.* Nam sicut

qui sine ulla ad Deum reflexione ad captandam laudem, et æstimationem hominum præcepta observant, et bona opera faciunt, nil coram Deo facere, et omni merito indigni esse censentur; sic idem dicendum de illis, qui id ex timore præcise humano et mundano, seu mere servili agunt, quamvis in foro externo, quod de intrinsecis non judicat, a pœnis transgressionis præceptorum immunes sint.

REGULA IX.

DEFLEAT PECCATOR, QUIA OFFENDENS IN UNO FACTUS EST OMNIUM REUS.

1. *Difficultas regulæ.* — Quæritur. Quomodo hæc regula intelligenda, et quis verus illius sit sensus? Ante responsionem notandum, hanc regulam omnino concordare cum sententia sancti Jacobi in sua *Epistola catholica*, II, 10 (ex quo regula nostra desumpta verisimiliter creditur) ubi cum Judæi manutenere vellent, non esse necesse totam legem, legisque præcepta servare, dixit eisdem loc. cit.: *Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus: idipsum, quod regula sonat.* Verum, quia durum foret, verba hæc in litterali sensu, prout jacent, intelligere ita, ut qui unam legem, v. g. *Non furtum facies*, furando transgrederetur, fieret reus omnium transgressionum, sicque reputaretur etiam adulter, perjurus, blasphemus, idololatra, homicida, etc., hinc tam interpretes sacræ Scripturæ, quam Glossatores nostræ regulæ faciunt varias interpretationes, inter quas præcipuæ sunt duæ sequentes.

2. *Declaratio illius a nonnullis.* — Prima est eorum, qui dicunt, ideo eum, qui in uno offendit, seu legem divinam transgreditur, censeri reum omnium, quia sola transgressionem unius legis jam videtur contemnere et non curare divinam potestatem legislativam, seu auctoritatem supremi legislatoris, sicque promptus, paratus ac dispositus esse, quod sicut in uno, non attendit, sed quasi sprete auctoritate supremi legislatoris legem transgredi ausus est, sic eam etiam in aliis transgredi non curet, potestate legislativa divina jam semel quasi sprete, et non amplius attendit, juxta tritum illud: « Qui unum peccatum mortale non timet; nec aliud timet. » Et huic interpretationi favere videtur subsequens textus sancti Jacobi, qui post-

quam dixit: *Offendens in uno factus est omnium reus*, statim *v. xi*, subiunxit: *qui enim dixit; non mœchaberis, dixit et, non occides. Quod si non mœchaberis, occides autem, factus es transgressor legis.*

3. *Alia declaratio.* — Altera interpretatio, quam tenet Glossa hic, Lyran. in cit. *Epist.* sancti Jacobi, cap. II. Sanctus Thomas, 2, 2, q. 72, art. 1 et alii, vult regulam intelligendam esse de offendente in uno graviter, seu committente peccatum mortale, utpote propter hoc unicum factus reus omnium quorumcumque tandem peccatorum quoad pœnam damni, id est, æternam privationem visionis beatificæ, perditionis amicitiae divinæ, charitatis et gratiæ sanctificantis, meritorum, ac celestis gloriæ, quæ cuncta propter unum peccatum mortale æque perdit, pœnamque damni æque incurrit, ac si omnia peccata totius mundi commisisset. Hoc notato,

4. *Verus sensus regulæ.* — Resp. ad quæstionem, regulam intelligendam esse juxta secundam interpretationem num. præced. adductam ita ut verus illius sensus sit: « Fleat mortaliter peccans, quia propter unum peccatum mortale amicitiam divinam, charitatem, gratiam sanctificantem, merita et prius facta bona opera cuncta, æternam beatitudinem æque perdit, pœnamque damni perinde incurrit, ac si omnia peccata reipsa commisisset. » Ratio est, quia quæ in hoc sensu allegantur, non tantum per unanimem theologorum, sed etiam per fidem divinam sunt certa, indeque regula dicens: *Offendens in uno, factus est reus omnium*, quoad præcipuum effectum in eo verificatur, quod propter unicum peccatum mortale eandem infiniti boni, et æternæ beatitudinis celestis jacturam incurrat, ac si omnium peccatorum esset reus.

5. *Pœnam sensus majorem pati debet, qui magis peccat.* — Dicitur tamen notanter: « pœnam damni; » quia pœnas sensus plures et graviores hic et ibi suslinere debet, qui plura et majora committit peccata. De quo magis theologi.

REGULA X.

NON POTEST ESSE JUSTA PASTORIS EXCUSATIO, SI LUPUS OVES COMEDIT, ET PASTOR NESCIT.

1. *Pastoris animarum gravissima obligatio et tanta est, ut etiam in casu, quo anima ipso ignorante perit, inexcusabilis sit.* Igno-

VII.

rantia eorum, quæ quis ex officio scire debet, pro crassa habetur. — Quæritur I. Quomodo hæc regula intelligenda, et quis verus illius sensus sit? Resp. I. Nomine *pastoris* in regula venire episcopos, aliosque prælatos et superiores ecclesiasticos, necnon parochos, et omnes curam animarum habentes: nomine *lupi* autem dæmonem et perversos præsertim scandalum præbentes homines: nomine *ovium* vero animas præfatis pastoribus tanquam oves concreditas intelligi, extra controversiam est. Quorum superiorum et pastorum gravissima obligatio, ut subditis et ovibus debite invigilent errores corrigant, avertere nitantur, ne luporum nequitia pereant, in tantum innuitur per hanc regulam, ut pastor inexcusabilis sit, et rationem reddere teneatur, etiamsi ipso ignorante, et nesciente ovis aliqua pereat; cum ignorantia illius, qui ex officio scientiam habere debet, et facile potest, pro crassa et culpabili reputetur, c. fin. *de Constit.* in 6. Et ea, quæ quis ex officio indagare tenetur, scire, et scire debere facileque posse, pro eodem habeantur, can. fin., dist. 37, c. fin., § *Si quis. de Clandest. despons.* juncta l. *Julianus* 19, ff. *de S. C. Macedon.* Confirmatur: arg. a pari. l. *Qui mercedem.* 40, ff. *Locati*, ubi habetur, eum, cujus custodiæ res commissa est, periculum præstare et probare debere, dolo vel culpa sua rem non periisse, quia ex officio suo custodiam adhibere tenetur, c. *Ea quæ de officio archidiaconi*, cum concord. a Glossa hic §. *Pastores* per plures textus allatis.

2. *Gravissima obligatio pastorum probatur ex Scriptura et Jure.* — Quod si juxta dicta vi hujus regulæ inexcusabiles sint pastores, quibus nescientibus et ignorantibus oves pereunt, facile colligere licet, quam gravis et inexcusabilis sit culpa illorum, quibus scientibus et advertentibus ex negligentia, socordia, conniventia, laxitate, timiditate, et respectu humano, vel malo exemplo illorum animæ pereunt. Profecto in sacris paginis æternum væ eis annuntiat Ezech., xxxiv, 2, 4, 8, etc. *Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos, gregem autem non pascebant; quod infirmum fuit, non consolidabant, et quod ægrotum non sanabant; quoa contractum, non alligabant, et quod abjectum, non reducebant, et quod perierat, non quærebant; ideo oves factæ sunt in devorationem et erraverunt.* Et c. *Irrefragabili*, 13, *de Offic. jud. ordin.*, dicitur, fore ut sanguis subditorum requiratur de

2

manibus praelatorum ecclesiasticorum, qui subditis suis debite invigilare, eorumque excessus et errores corrigere neglexerunt. Ubi etiam pontifex ad facilitandum superiorum munus omnem appellationem in correctione morum prohibet, ibi: « Ut autem correctionis et reformationis officium libere exercere valeant, decernimus, ut executionem illorum nulla consuetudo, vel appellatio valeat impedire. »

3. *Item ex sanctis Patribus ac theologis.* — Horrenda sunt, quae de gravissima et periculosissima obligatione superiorum ecclesiasticorum et pastorum animarum scribunt sancti Patres et theologi, inter quos Avila, doctrina et virtute suo tempore celeberrimus theologus dicere non dubitavit: « Tanta est obligatio pastorum animarum, ut si tertiam tantum partem re ipsa adimplerent, ab omnibus sancti reputarentur, et tamen si hac contenti sunt, damnationem non evadent. » Et sanctus Chrysost. Homil. 34, ad Hebr. apud Barbos. p. 1, de Offic. et potest. episc. tit. I, cap. vi, n. 23, dicere non est veritus: « Miror, si potest salvari aliquis rectorum. » Et in Acta apost. apud Strein. in hanc regulam n. 1, de episcopis tanquam supremis praelatis et animarum pastoribus in specie scribere ausus est: « Non multos episcopos salvari, eo quod difficillimum sit, tot animarum sibi commissarum bonam et sufficientem rationem reddere. » Ut proin mirum sit, et merito cum aliis sanctis Patribus Sanctus Chrysostomus miretur, tamen aliquos ambire tam periculosum munus superiorum, imo, ut ait loc. cit. S. Chrysost. « Aliquos etiam concurrere et praecipitare semetipsos in tantam molem et difficultatem regiminis. » Caeterum ex dictis facile eruitur verus sensus regulae; Nam

4. *Verus sensus regulae quis?* — Resp. II. Verus sensus regulae est: « Gravissima, et tanta est pastorum animarum obligatio invigilandi subditis sibi concreditis, errores eorum corrigendi, avertendi illosque debite regendi, a via recta aberrantes reducendi, ut etiam in casu, quo ipsis insciis et ignorantibus aliqua ex concreditis animabus male vivendo pereat, coram Deo inexcusabiles sint, » ob jura et rationes, n. 1, allegatas.

5. *Prudens et utilis modus regendi et corrigendi subditos.* — Porro qualiter, seu quomodo subditi a superioribus prudenter ac utiliter regi et corrigi possint sit, partim jam supra in reg. II, diximus, partim, imo plene

et optime praescribitur in concil. Trident., sess. 13, de Reform., cap. 1, illis huc relatu dignis verbis. « Illud primum eos admonendos censet, ut se Pastores, non percussores esse meminerint, atque ita praesse sibi subditis oportere, ut non in eis domineantur, sed illos tanquam filios et fratres diligant; elabrentque, ut hortando et moneo ab illicitis deterreant, ne ubi deliquerint, debitis eos poenis coercere cogantur. Quo tamen si quid per humanam fragilitatem peccare contigerit, illa Apostoli eis ab eis servanda praecipio; ut illos arguant, obsecrent, increpent in omni bonitate et patientia; cum saepe plus erga corrigendos agat benevolentia quam austeritas, plus exhortatio quam comminatio, plus charitas quam potestas. Sin autem ob delicti gravitatem virga opus fuerit, tunc cum mansuetudine rigor, cum misericordia iudicium, cum lenitate severitas adhibenda est; ut sine asperitate disciplina populi salutaris ac necessaria conservetur, et qui correcti fuerint, emendentur; aut si resipiscere noluerint, caeteri salubri in eos animadversionis exemplo, a vitis deterreantur: cum sit diligentis et pii simul pastoris officium, morbis ovium levia primum adhibere fomenta; post, ubi morbi gravitas ita postulet, ad aciora et graviora remedia descendere; sin autem ne ea quidem proficiant illis submovendis, caeteras saltem oves a contagionis periculo liberare. Cum igitur rei criminum plerumque ad evitandas poenas et episcoporum subterfugienda iudicia, querelas et gravamina simulent, et appellationis diffugio iudicis processum impediant, ne remedio, ad innocentiae praesidium instituto, ad iniquitatis defensionem abutantur, atque ad hujusmodi eorum calliditati et tergiversationi occurratur, ita statuit et decrevit. In causis visitationis et correctionis, sive habilitatis, necnon criminalibus, ab episcopo seu illius in spiritualibus vicario generalis, ante definitivam sententiam ab interlocutoria, vel alio quocunque gravamine, non appelletur, etc. nec episcopus seu vicarius appellationi hujusmodi, tanquam frivola, deferre teneatur; sed ea, ac quacunque inhibitione ab appellationis iudice emanata, necnon omni stylo et consuetudine, etiam immemorabili, contraria non obstante, ad ulteriora valeat procedere; nisi gravamen hujusmodi per definitivam sententiam reparari, vel ab ipsa definitiva appellari non possit: quibus casibus sacrorum et antiquo-

rum canonum statuta illibata persistent. » Quamvis enim hic corrigendi modus specialiter praescriptus sit episcopis, tamen etiam aliis praelatis, et superioribus ecclesiasticis, servatis servandis, communiter merito adaptatur.

6. *Ignorantia vere invincibilis excusat pastorem.* — Quæritur II. An et quas fallentias patiatur hæc Regula? Resp. abstrahendo ab aliis, etiam sequentes: Et quidem fallit primo, in casu quo superior invincibiliter ignorat, subditum in occulto male vivere et perire; quia sicut juxta communem theologorum vere invincibilis ignorantia facti in omnibus tollit voluntarium, et a culpa excusat, sic etiam in hoc.

7. *Sicut et si sua facit, et tamen ovis perit.* — Fallit secundo in casu, quo superior moneo, corrigendo, puniendo, quæ potuit et debuit, fecit, et tamen subditus in mala vita perseveravit et perit, quia in tali casu contra subditum incorrigibile merito pro sua excusatione utitur verbis Osee XIII, 9. *Perditio tua, Israel: tantummodo in me auxilium;* et Jerem. LI, 9. *Curavimus Babylonem, et non est sanata.* Dummodo talem, si communitati scandalosus est, tanquam ovem scabiosam, ne alios inficiat, competentibus mediis a communitate amoveat, uti ex officio tenetur.

REGULA XI.

INDIGNUM EST, ET AB ECCLESIAE ROMANAE CONSUE-
TUDINE ALIENUM, UT PRO SPIRITUALIBUS FAC-
ERE QUIS HOMAGIUM COMPELLATUR.

1. *Homagium aliud proprie seu stricte tale.* — Quæritur I. Quomodo hæc regula intelligenda, et quis proprius illius sensus sit? Ante responsionem notandum, homagium varie, praecipue vero bifariam sumi, proprie videlicet seu stricte, et improprie. Homagium proprie seu stricte tale est juramentum, quo quis alicui tanquam territorii domino spondet et jurat subjectionem et obedientiam quoad certas operas et bona temporalia, utque vasallum, et quasi homo illius, cui jurat. *Homagium enim quasi hominis agium dicit;* quia ligat, seu obligat hominem illi, cui homagium seu juramentum praestat; gloss. in Clement. 2, de Re judicat. et ibi Abbas, n. 6; Vivianus, de Reg. jur. in fine. et alii communiter.

2. *Aliud improprie tale.* — Homagium improprie tale est juramentum fidelitatis, obe-

dientiae et reverentiae, quod clerici post adeptam aliquam spiritualem dignitatem vel beneficium praestare tenentur episcopis, quibus tanquam propriis praelatis, superioribus et dominis suis, patribusque spiritualibus fidelitatem, obedientiam et reverentiam specialiter debent, c. Nullus. 5, de Jurejur. et c. gravem 15, de Excess. praelat. ubi Papa graviter punit archidiaconum, quod post praestitum episcopo homagium, illum pro domino suo agnoscere recusavit. Hoc notato.

3. *Regula loquitur de homagio proprietati.* *Verus regulae sensus quis?* — Resp. regula 11, intelligenda est de homagio proprie et stricte tali, quo alicui juratur et spondetur obedientia et subjectio quoad praestanda temporalia, ita ut proprius illius sensus sit: « Nullus potest pro beneficio, seu pro illius collatione aut nominatione, vel presentatione ad aliud, nec pro alia quacunque re spirituali compelli ad praestandum homagium proprie tale, nec illud ultro deponere. » Ratio est, quia hoc ipso, quod per homagium proprie tale spondeantur temporalia, nec collator, nec patronus sive ecclesiasticus sive saecularis pro beneficio, nec quis alius pro alia re spirituali tale homagium exigere, nec quis ultra illud praestare potest sine labe simoniae, quæ semper committitur, quoties datur, vel promittitur temporale pro spirituali, prout amplius dictum lib. V, tit. III. de Simonia: et textu claro c. Ex diligenti, 17, de Simonia. Ubi de homagio proprio specialis dispositio habetur, et in sumario breviter adducitur illis verbis: « Pro habendis spiritualibus homagium facere, simoniacum est; cum, ut textus ait, hoc praestare divinis et humanis legibus contraire nescatur. »

4. *Homagium improprie licet praestare et exigere pro spiritualibus.* — Aliter res se habet in homagio improprie tali n. 2, declarato, quia vi hujus nullus obligatur ad munus et obsequium temporale, ad quod alias de jure vel consuetudine non tenetur, sed ad fidelitatem, obedientiam in spiritualibus non tam personae, quam dignitati exhibendam, quod utique simonia caret, et non tantum licitum, sed et obligatorum est, arg. cit. c. gravem. 15, de Jurejur. juncto concil. Trident., sess. 24, de Reform. c. 12, et c. Ego N. episcopus. 4, de Jurejur. ubi formula hujusmodi homagii et professionis praescribitur.

5. *Etiam temporalia, quæ alias de jure debentur, exigere et praestare licet pro spiritualibus.*